

Bibliothèque numérique

medic@

**Brunet, Claude - candidat /
Dieuxivoye, Bertin Simon - président.
- An à diversis alimentis, indoles
ingenii diversa ?**

1717.

***Paris : Typis J. Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2325 n°132***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax04x0132](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax04x0132)

QUÆSTIO MEDICA,

*Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Schôlis
Medicorum, die Jovis 22 Aprilis 1717.*

M. BERTINO-SIMONE DIEUXIVOYE,
Doctore Medico, Præsides.

An à diversis alimentis, indoles ingenii diversa?

I.

OMNE tulerunt punctum, qui circa facultatem animalem doctrinam à futilibus & nugatoriis opinionibus expurgant, modosque excogitant quibus animi munia obiri possunt. Saniorum Philosophorum auctoritate celebratur, similem, imò & eandem animæ essentiam cunctis inesse hominibus, nequè in hoc quàm in alio uspiam perfectiorem inveniri; at nihilominus simplex illa in hoc, quàm in alio facultates exhibet perfectiores, & alias expeditius, alias segnius functiones edit. Hanc varietatem efficit, non animæ essentia; sed corporis & instrumentorum ejus varia constitutio, ex temperamento & conformatione contracta: harum quippè conditionum varietatem animæ facultates, moresque sequuntur; neque verò insita solum & congenita nobis, sed & adscititia constitutio animi facultates ac mores mutat. Ex decreto divino mentis cum corpore humano unio postulat, ut quotiès in spiritibus animalibus, aut in ipsâ cerebri substantiâ motus inducuntur, certæ oriantur in mente cogitationes; & quotiès mens in certas cogitationes prorumpit, spiritus animales, aut fibrillæ cerebri certis motibus agitentur. Cogitationum & ingeniorum discrimina edunt diversæ implicationes, divulsiones, corrugationes, crispationes, occillationes, tensiones, contractiones, dilatationes, aut aliter facta in fibrillis sensorii communis mutatio; quæ omnia spiritus diathesi & ductus nervei firmitate discrepantes fortuntur diversa; hinc causam diversi ingenii apprimè noscent, quibus fons & origo tenoris solidarum, & crasis fluidarum partium explorata fuerint.

II.

QUI sit ut alimenta ingeniorum naturæ diversæ non conferant, si alimenta diversa humores nullo modo pares efficiant? alimentum enim, & alimenti species unum & multæ: unum quidè, quatenus genus unum, species verò humiditate & siccitate circumscribitur, in hisque formæ & quantitatis inest, & ad quædam & ad tanta referun-



tur; auget autem & robur infert, similitudinem & dissimilitudinem in singulis pro cuiusque naturâ inducit, & eâ facultate quàm habet initio. Neque verò in specie alimentorum tantummodò discrimen est; sed etiam in ipsis, quod & ætate fit, & membro, & solo, & cœlo, & habitu: Aliæ res boni succi, aliæ mali: sunt aliæ lenes, aliæ acres; aliæ refrigerant, aliæ calefaciunt: quædam somnum movent, quædam sensus excitant. Non solum speciei, sed etiam colorum varietas tanta est in alimentis, quanta ferè in universo observatur orbe. Eadem est ratio saporis, consistentiæ, odoris, cæterarumque conditionum. Admiratione perquam dignum est, alimenta tot nominibus discrepantia in chilum nihilominus candidissimum primò, ac postmodum in rutilantem converti sanguinem! attamen certo certius est, ventriculi actione infracta quodammodo esse alimenta, non verò prorsus extincta, nec pristinis omnino spoliata facultatibus; sed pristinæ qualitatis nonnihil etiamnum remanet in sanguine, etsi alimenti ex quo genitus est, formam perdidit sanguis, ejus qualitates, aliasque vires impertit partibus alendis. Lactuca tametsi coctione mutetur, ventriculum & corpus refrigerat, ex eâque sanguis profertur frigidior. Nullum alimentum adeò simile corpori reperire fas est, quod aliquâ exuperante qualitate corpus non immutet, etiamsi coctione in sanguinem & succum vertatur alendo corpori idoneum, pristinæ qualitatis semper particeps, conditionis suæ quamdam substantiam gignit in nobis. Cum substantia ipsam temperiem mutat, novamque suggerit. Cum præ cæteris in spirituum nostri corporis conservatione sollicita sit natura, nobilissimam ac subtilissimam sanguinis portionem restitutioni horum impendit. Non modò omnis corporis partium constitutio, sed & humores, & spiritus quibus conservamur, movemur, ratiocinamur, ab esculentis, potulentisque mutantur; verbo dicam, à diversis alimentis nascitur diversus chylus; qualis chylus, talis quoque est animæ sedes, sive sanguis cujus indolem sequuntur ingenii mores.

II I.

MEDICUM sive ratione, sive experienciâ destitutum, maxime hæsitare, titubare, corruere; quin imò artem ipsam, sine hoc duplici adminiculo collapsuram, apud omnes in confesso est. Age itaque, ratiocinationes experienciâ suffultas accipite. Inter se differunt Gentes victu & institutis. Angli quorum mensæ carnibus semi-coctis affluunt, cum maximo ardore, & ut ita dicam, mentis furore dimicant: barbara & crudelis Tartarorum Natio lacte equino pro potu utitur: Incolæ soli exilis & macri oleribus duntaxat & cibo illiberali vefcentes, servili indole donantur, abjectioraque sustinent munera: In Galliâ cibaria adhibentur maxime temperata, Galli urbanitate & morum lenitudine præcellunt: Ne mireris Vasconum solertiam, calliditatem, magnanimitatem; Vasconia ferax est alimentorum calidorum, acrium, siccorum, tenuiumque partium. Quid plura? Nobiles ac Cives de rebus domesticis benè constituti, à plebeculâ & rusticis, non tam morum, quàm victus elegantia ubique terrarum discernuntur. In his

omnibus mutationibus peragendis, suum symbolum conferre aërem non inficias ibo; dummodò alimenta primas obtinere fatearis. Aër quidē celerius ac promptius invadit in plures, at cibis atque potus quoniam permanentem, ac inhaerentem corpori materiam suppeditant, id validius, contumaciùsque afficiunt atque immutant; sunt in exemplis frugum semina mutato solo degenerantia.

I V.

IN rusticis moribus, in victu arido, in horridâ incultâque vitâ, maleficia haud nasci solent. Ut non omnem frugem atque arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vitâ observatur. In urbe luxuries creatur, indè omnia scelera ac maleficia originem trahunt; vita autē rustica, quam agrestem vocant, diligentia, justitia magistra est. Pudicitiam in terris moratam, visamque diu credite, cum uxor sæpè horridior marito glandem ructante, potanda infantibus ubera ferebat. Hinc discant mulieres sinè gravibus rationum momentis, alienas nutrices infantibus non suppeditandas esse. Relictis catulis lupa vagitum sequuta, ubera admovit Remo & Romulo qui grassatores prædoneſque se gesserunt: Tyberius vini appetentissimus perhibetur, quia ejus nutrix illi dedita erat: historia Hispani cujusdam cervino, nec-non Monachi caprino lacte nutritorum omnibus nota est; hic vel invitus choreis indulgebat, ille verò cervos cursu æquabat: Antiqui penès ingenium à Recentioribus tam dispares censentur, ut nostri ævi scriptores, quibusnam priores partes deferant acriter disceptent. Quidni hoc discrimen à diverso victu ortum fuisse dixeris? quandoquidem condimenta antiqua à recentioribus tantum distant, ut nunc vel audita nauseam moverent; ut videre est in *Apicio*, *Cotumeltâ*, *Platinâ*, qui ex professò de re culinaria differuerunt. Discrimina ingeniorum ex majori minori-ve spirituum tenuitate, vel fibrillarum nervearum rigiditate exoriuntur; quamobrem similem victum adhibentes, iisdem moribus ut plurimum donantur. Non frustra creditum est sicut valent ad fingendas corporis & animi similitudines vis & natura feminis, non secus ad eandem rem, alimentorum ingenia & proprietates valere.

V.

EX varietate alimentorum, non solum ipsorum corporum, sed animorum etiā nasci diversitates, ita perspectum cognitumque habent Medici, ut alimenta exhilarantia, melancholica, cholericæ, venereos stimulos compescant, aut stimulantia &c. recenscant; imò veteres limatiùs exquisitiùsque aliquid scripturi, helleboro sese purgabant, humores noxios sic educi posse rati, ne redundarent & cerebrum infestarent. Quemadmodum artifices certis morbis laborare solent, ita peculiari victu iisdem uti expedit; imò variis doctrinis, disciplinisque incumbentes, diversam victus rationem exigere videntur, ex quibus anima particulis alimentariis composita immeritò argueretur. Nihil est in animis mixtum aut concretum, aut quod è terrâ natum, atque fictum esse videatur; nihil-ne aut humidum quidē, aut stabile, aut igneum; his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis

habeat ; quod & præterita teneat , & futura prævideat , & complecti possit præsentia ; sed quoniam mens beneficio spirituum suas exerit vires , non solum præstantior , sed & tempestiva eorum dispensatio desideratur. Spiritus firmi ac stabiles , subtiles ac activi , non tamen supra modum volatiles , mentis soliditatem & iudicium acre producant. A spiritibus aut nimis fixis , aut plus æquo volatilibus , stupiditas vel levitas mentis originem ducit. Immodicus vini potus , & quodvis vitæ dissolutæ genus , cum sanguinem effrenent , homines non solum ad iudicii & rationis actus exerendos inhabiles , ad scelera & turpissimas cupiditates maxime proclives reddunt ; verum etiam cor indurare & Religionis officia obstruere dicuntur. Quâ-de-causâ populi arctiorem asperioresque vitam identidem (sic jubente Ecclesiâ) ingrediuntur , ut eorum pietas , religiosumque studium invalescant. Animus adeo à temperamento & organorum corporis dispositione dependet , ut si ratio aliqua possit inveniri , quæ homines sapientiores , ingeniosioresque reddat , credam illam in Medicinâ quæri debere.

Ergo à diversis alimentis indoles ingenii diversa.

Domini Doctores disputaturi.

M. Philippus Fontaine.

M. Joannes Herment ,
utriusque Aula Eque-
stris Medicus ordinarius.

M. Ludovicus Lemery, Re-
gia Scientiarum Acade-
mia Socius.

M. Antonius Pepin.

M. Stephanus - Franciscus
Geoffroy , Regia Scien-
tiarum Academia Pari-
sienfis , Regiaque Socie-
tatis Londinensis So-
cius , & Regius Profes-
sor.

M. Petrus le Tonnelier,

M. Petrus Azvedo, Phar-
macia Professor.

M. Franciscus Aignan.

M. Carolus Thuillier.

Proponerat Parisiis CLAUDIUS BRUNET, Lugdunæus,
Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1717. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ
Typographi.